



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Cap. I. De ædificandis Ecclesiis parochialibus aliisque, & monasteriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

lis est utique dicta translatio, per quam sancti aliejus corpus aut notabiles reliquiae veluti magnus thesaurus spectantes ad unam Ecclesiam alienantur ab ea & transcribuntur alteri) necesse habent expediti juxta cap. 1. *Et rotum tit. de his, quae sunt à praelatis.* An verò præter consensum Capituli Ca-

thedralis requiratur consensus Abbatis & conventus aut aliorum Clericorum, dum corpus transfereendum spectet ad monasterium aut aliam Ecclesiam collegiatam, merito dubitatur, & videtur affirmative respondendum, cum in tali alienatione immediate agatur de re propria eidem auferenda.

TITULUS XLVI.

De observatione jejuniorum.

Cum pauca, quae in jure canonico *h. t.* tractantur, ex consuetudine nota sint, ut, quod si festum nativitatis Domini, assumptionis B. V. Apostolorum incidat in feriam secundam, Vigilia & jejunium celebranda sabbatho præcedenti *c. 1. h. t.* quod omnibus vigiliis Apostolorum, præterquam S. Joannis Evangelistae & SS. Philippi & Jacobi sit jejunandum, quodque necessi-

tas & infirmitas excuset à jejunio *c. 2. h. t.* quod liceat vesci carnibus omnibus qui non sunt adstricti voto vel regulari observantia ad jejunium feriâ sextâ, si in eam incidat festum Nativitatis Christi *c. 3. h. t. & c.* ea verò, quae occasione hac introducuntur huc ab aliquibus Canonistis, & in specie Wiesta. quia propria sunt Casistis, à quibus fuse exponuntur, more aliorum Canonistarum, illis ea consultò relinquimus.

TITULUS XLVII.

De purificatione post partum.

Quaest. 991. An & quanto tempore puerperis post partum abstinendum ab ingressu templi, & quae obligatio ante ingressum petendi benedictionem à parochio, idemque offerendi pro ea aliquid?

Resp. Ad primam partem hujus quaestionis, quae unica est *hujus tit.* præceptum, quo in lege veteri Levitici 12. arcebanatur ab ingressu templi per 40. dies, si masculum, per 80. si foemellam peperissent modò sublatum est; unde, si velint & vires patiantur, mox à partu illis acturis gratias Deo, licebit templa ingredi. Sitamen ex veneratione & decencia seu laudabili verecundia aliqua, ab hoc ingressu abstinere velint, per septimanas aliquot, ut ferè habet moderna consuetudo, nequaquam id illis denegandum. Cum etsi lex illa vetus mortua sit, non tamen reddita mortifera, ita ut observantia illius modò inducat peccatum, uti accidit quibusdam legibus caeremonialibus veteris testamenti, nimirum quae principaliter ordinatae ad præfiguranda myste-

ria Messiae seu Christi futura, quae quia jam completa, leges tales repugnant veritati fidei.

2. Resp. Ad alteram partem, tamen si in jure non existeret præceptum petendi à parochio proprio ante hanc ingressionem ad introductionem earum benedictionem offerendique pro ea eidem honorarium aliquod, utriusque tamen ubique ferè viget consuetudo, & quidem in locis pluribus continens obligationem, pro ut in simili dici solet de oblationibus, ad quas percipiendas à parochianis intentionem fundatam habet ut Abb. *in c. 9. de his quae sunt C. praet. n. 2.* Barb. *de off. paroch. c. 24. n. 22.* & numeratur inter jura parochialia juxta declarationem S. congreg. Cardinal. interpret. Concilii Trid. *de an. 1662. 18. Novembr.* Ita Reiffenst. ad *h. t.* addens propterea nullatenus competere illam benedictionem regularibus. Lauret. de Franchis, *de contrrov. inter Episc. & regul. p. 2. q. 69. n. 1.* quamvis hic in fine hujus num. addat, in hoc præcipuam habendam rationem consuetudinis legitime præscriptae, quae seclula purificationem etiam à regularibus admitti posse, praesertim, cum ab iis etiam recipi possint oblationes, quae in eorum Ecclesiis fiunt, quod ipsum confirmat. Wiesta. *h. t. n. 6. & 7.*

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis aedificandis & reparandis.

CAPUT I.

De aedificandis Ecclesiis parochialibus aliisque & monasteriis.

Quaest. 992. Ecclesiae materiales quotuplicis generis.

Resp. Ecclesiae materiales (id est, templa seu aedes publicae divino cultui deputatae, in quibus fideles ad administranda & percipienda Sacramenta, sacrificium missae of-

ferendum & audendum conveniunt) aliae dicuntur Basilicae, quales olim dicebantur Ecclesiae nondum consecratae. Abb. *in rub. de consecrat. Eccles. n. 2.* hodie majores & principales à Regibus constructae, ad quos Principes divinarum officiorum gratia convenire consueverunt. Barbof. *jur. Eccles. s. 12.*

XXX 2

s. 12.

R. P. Lem. *Jur. Can. Lib. III.*

c. 12. n. 10. Alia cathedralis, quæ sunt fedes Episcoporum. Alia collegiata, quæ habent communitatem clericorum Canonicoꝝ cum eorum capite, qui capitulariter congegati agere & sigillum commune habere possunt. Barb. l. c. c. 6. n. 6. Alia matrices, per quas licet proprie intelligantur Ecclesiæ Cathedralis. Arg. c. 22. d. V. S. minus tamen proprie etiam inferiores, quæ alias aliquo modo sibi subjectas habent; qualis etiam dicitur parochia post sui divisionem, ita, ut quæ ex hac divisione de novo surrexerunt, dicantur filiales Arg. c. 3. h. t. alia baptismales, quæ fontem baptismalem habent, unde etiam tales dicuntur parochiales, & è contra confuso hoc nomine. Alia regulares, quæ pro habitatione divinisque officiis religiosorum principaliter constructæ. Sæculares quæ pro usu sæcularium Clericorum sub iisdem existunt. ita fere Reiffenst. h. t. n. 3.

Quest. 993. A quibus & cuius auctoritate extrui possunt Ecclesiæ de novo?

Resp. Ecclesiæ etiam publicæ ædificari possunt à quocunque, modo per hoc non inferatur præiudicium alteri, & interveniat legitimi superioris auctoritas, alteriusque, cuius interest, consensus. Piacet. in praxi p. 1. c. 2. a. 4. n. 1. & 2. Zerol. in pr. p. 1. V. ecclesia dicto 2. & 4. Barb. jur. Eccles. l. 2. c. 2. n. 4. Pirh. h. t. n. 1. cum communi. Dixi primo: Ecclesiæ publicæ, siquidem Oratoria privata in ædibus propriis extruere potest quilibet citra intervenientem ullius alterius auctoritatem aut consensum, etiam ex intentione ibi dicendi missam, etsi ea in illis dici nequeat sine accedente consensu Episcopi. Can. quicumque juxta Gl. v. non licet & can. Si quis dist. 1. de consecrat. Trid. sess. 22. in decreto de celebr. missæ V. neminem. Dixi secundo: modo per hoc non fiat præiudicium alteri: regulariter enim eregi ea nequit, dum illius extructio vergit in præiudicium alterius Ecclesiæ præsertim Ecclesiæ parochialis. Barbos. de off. & potest. Episc. Alleg. 26. num. 1. Pirh. h. t. num. 5. Wiestn. n. 5. Reiffenst. n. 11. Arg. Can. Ecclesia. & seg. caus. 16. q. 1. Unde ante ædificationem novæ Ecclesiæ vocandi & audiendi sunt circumjacentium Ecclesiarum, maxime parochialium, Rectores, ut exponant, si quæ habeant & patiantur gravamina & præiudicia à tali ædificatione & si illis non auditis ædificetur nova Ecclesia, possunt ædificanti novum opus nunciare, & hac nunciacione efficere, ut ab ædificatione statim cessare, & post nunciacionem ædificata propriis sumptibus destruere teneatur ædificator juxta c. 1. & 2. de novi operis nunc. & ibi DD. præiudicium verò aliarum Ecclesiarum consistit potissimum in coherencia ædificii & damno sequente ex diminutione decimarum, oblationum, aliorumque possessione, & unum præiudicium etiam impediens dictam extructionem est, dum officit luminibus vicinarum ædium privatarum, aut impedit accessum ad eas. Valens. ad hanc rub. §. 1. n. 8. Wiestn. h. t. n. 4. ex ea ratione, quod licet favor religionis sit summus, regulari tamen debeat ad normam iustitiæ. De causis autem, ex quibus non obstante illo præiudicio fieri possit ista ædificatio uti & de consensu superioris ad eam requisito dicitur specialiter qq. sequentibus. Unde sit

Quest. 994. An & quibus ex causis fieri possit novæ Ecclesiæ constructio?

Resp. Ad primum: tamen si Episcopo novas parochiales erigere competat auctoritate ei de super delegata per sedem Apostolicam tanquam e jusdem delegato. Mandos. in prax. sign. grat. tit. erectiones. Rebuff. in pr. Decret. in parochial. Leo in thes. fori Eccles. p. 2. c. 2. n. 68. juxta c. ad audientia &

Trid. sess. 21. c. 4. vide me in foro benef. p. 1. q. 155. Licet etiam procedere possit ad novæ parochiæ erectionem remoto appellationis obstaculo juxta c. ad audientiam b. t. non tamen unquam sine iusta & probata causa ad talem extructionem procedere potest, cum illa erectio novæ Ecclesiæ sit dismembratio ab antiqua Ecclesia & veluti quedam alienatio, quæ fieri non debet sine legitima causa juxta c. 1. de reb. Eccles. non alienand. idque etiam, ut videtur; etsi talis extructio non vergeret in præiudicium alterius.

2. Resp. Secundo talis causa sufficiens extruendi Ecclesiam novam, etiam intra limites antiquæ vel etiam alterius parochialis est in genere magna & evidens necessitas cui alio remedio occurri nequeat. Lotter. de benef. l. 1. q. 28. n. 29. & seg. talis est magna incommoditas & difficultas, undecunque proveniat, adeundi aliquam Ecclesiam parochialem pro percipiendis Sacramentis divinisque officiis audiendis, c. ad audientiam b. t. Trid. sess. 21. c. 4. de reform. quod cum requirat difficultatem magnam, modica aliqua incommoditas, causa sufficiens non est, de cuius sufficientia, dum dubitatur, Episcopi est de super arbitrari & dijudicare juxta declarationem S. congreg. ut Barb. de off. & potest. Episc. Alleg. 68. n. 2. Fagn. ad cit. c. ad audientiam n. 18. Pirh. h. t. n. 6. Arg. c. de causis. de off. deleg. Itaque in specie talis causa est nimia plurium parochianorum distantia à parochiali. Item si inter eorū villas & parochial. decurrat flumen vel torrens, qui pontem non patitur, & transvadari nequit, frequenterque intumescens, latas inundationes causat Fagn. l. c. n. 17. Barb. l. c. n. 1. Item, si Ecclesia parochialis cum suo parcho sit intra moenia urbis, præsertim, quæ vesperi mature clauditur, & mane ferius aperitur, ac proinde pluribus parochianis extra habitantibus ad eam de nocte non patet accessus, in casibus repentinis pro accipiendo viatico & extrema unctione Card. de Luc. de paroch. d. 34. n. 6. Fagn. l. c. n. 19. & 20. Pirh. l. c. Wiestn. h. t. n. 6. de quo vide me in for. benef. p. 2. q. 154. n. 3. quamvis ad sufficientiam hujus causæ non requiratur, ut quandoque exinde parochiani sint mortui sine sacramentis, sed sufficiat re vera esse talis casus periculum, ut censuit. cong. apud Fagn. n. 17. Sic quoque sufficiens causa est, cur juxta c. 2. h. t. permittatur leprosis pluribus (v. g. decem Arg. c. unis. caus. 21. q. 3. vel etiam paucioribus, modo Ecclesiam dotare velint, ut Glos. in cit. c. 2. V. tot. & Hostiens. ibidem) in communi simul viventibus construere intra fines parochiæ Ecclesiam separatam cum cæmeterio, & habere proprium presbyterum, ob periculum contagionis, ne nimirum inter sanos habitantes, & frequentantes unà cum iis Ecclesiam eosdem inficiant Barb. in cit. c. 2. n. 1. & 2. Pirh. h. t. n. 8. ita tamen, ut Ecclesiæ veteri quò ad jus parochiale præiudicium non creent, seu injuriam faciant, cum, quod iis ex pietate conceditur, in aliorum injuriam redundare non debeat. Quamvis, ut quoque statuitur cit. c. 2. dum in communi simul vivunt in una domo non teneantur decimas de hortis suis, qui sunt circa domus, eorū usui deputatis, neque de animalibus suis ibidem nascentibus & eorum nutrimentis Barb. l. c. n. 2. cum Rebuff. de decimis q. 5. n. 21. Monet. ir. eod. c. 5. q. 1. n. 35. & aliis ac proinde eas non solvendo veteri Ecclesiæ parochiali, dum aliàs ad eam spectant decimas, non faciunt præiudicium seu injuriam. Secus est de aliis decimis, quas solvere debent etiam ex herbis & fructibus dictorum hortorum, dum eos vendunt. Abb. in cit. c. 2. n. 5. Quod tamen privilegium leproforū simul in separata domo viventium extendendum non est ad hospitale commune leprosis & aliis infirmis, etiam si in eo hi leprosi separatim habeantur; quia se-

paratum corpus non constituunt Barb. *incit. c. 2. n. 2.* juxta decisionem Rotæ in Cord. dec. 22. Maji 1617.

3. Resp. tertio: Causa sufficiens erigendi novam Ecclesiam non est, dum Ecclesia non est capax totius populi, ac ita deformis; cum tali angustia occurri possit per ampliationem illius aut per extensionem sive adjectionem Capellæ in proprietate parochialis antiquæ. vide me *in for. benef. p. 1. g. 154. n. 3.* Item sola numerositas parochianorum ita excrecens, ut unus solus Presbyter non sufficiat ad satisfaciendum universis. Cum pro hoc casu præscribatur aliud remedium à Trid. *cit. c. 4.* ut Episcopi cogant Rectores, quibus cura animarum incumbit ad assumendum tot coadjutores, quot sufficienti ad administranda Sacramenta & cultum divinum petragendum. Ita juxta declarationem S. Cong. & Rotæ decisionem apud Barb. *de jur. Eccl. L. 2. c. 2. n. 10.* & Fagn. *l. c. n. 24.* ubi etiam ex Lapo. *alleg. 66.* monet, quod in casibus, quibus ob nimiam distantiam vel ob flumen & mœnia difficilis est accessus ad Ecclesiam, necessario deveniendum non fit ad extensionem novæ, si Rector illius parochianis providerit de sacerdote approbato & ordinario, qui in Capella aliqua vicina accessu facili parochianis remotis aut aliter exclusis Sacramenta necessaria ministraret, aliaque divina officia peragat. Ita Wiestn. *h. t. n. 7.* vide tamen quæ super his & præcedentibus causis monet Card. de Lug. ad Trid. *d. 16. n. 2. & seq.* apud me *l. c.*

Quæst. 995. Quænam præter justam causam ad erectionem novæ Ecclesiæ requirantur conditiones?

1. Resp. conditiones hæc sunt ferè sequentes. Primo ut Episcopus per se vel Vicarium suum generalem ad hoc speciale mandatum habentem juxta *c. nemo. dist. 1. de Consecrat.* juncta *Glof. ibid. v. veniat.* & declarat. S. Cong. Fagn. *l. c. n. 4.* erectionem faciat. Pirh. *n. 13. in fine.* Reiffenst. *n. 21.* idque in loco, ubi est competens parochianorum numerus, qualem ad minimum constituunt decem Arg. *c. unicus. caus. 10. q. 3.* cum decem constituant plebem Gl. *in c. 1. de elect. v. duo.* Fagn. *in c. ad audientiam. h. t. n. 28.*

2. Secunda ut Ecclesiæ noviter erigendæ ante erectionem constituatur dos congrua, nimirum sufficientes & stabiles redditus pro luminaribus, paramentis, fabrica, sacerdotibus, seu rectore & alio Clerico (vel ut hodie passim, laico) ipsi ministrante in Ecclesia, & illius custodiam habente, aliisque necessariis Ecclesiæ, prout constat ex *Can. 9. de Consecrat. dist. 1. & novel. 66. C. 2.* ita ut Episcopus Ecclesiæ indotatæ erectioni consensum præstare nequeat. Præstanda hæc dos, ubi aliena liberalitas non suppetit ab illa parte & communitate parochianorum (qui etiam ad hoc compelli possunt ab Ordinario) qui illam dismembrationem seu novæ Ecclesiæ erectionem urgent ob incommoda accedendi ad veterem parochiam, adeoque quorum interest eam fieri, ita ut dos veteris Ecclesiæ non patiatur detrimentum, cum, ut *c. de Lug. de decim. d. 12. n. 8.* ad istiusmodi novas erectiones cum dismembratione non solet procedi nisi cum minimo, quo fieri potest, veteris Ecclesiæ præjudicio; adeoque ut patiatur quidem illud præjudicium diminutionis jurisdictionis populi, & inde natum præjudicium diminutionis emolumentorum parochialium non verò diminutionis decimarum, quamvis etiam, dum nova erectio fit cum formali dismembratione Ordinarii, præsertim, ubi proventus Ecclesiæ matricis sunt copiosi & pars illa Parochianorum avulsa egentior, ex fructibus ad eam quomodocumque pertinentibus dotem hanc novæ

Ecclesiæ novique Rectoris congruam desumere possunt. vide me *l. c. g. 159. n. 1.* quod si verò Parochianos illos excuset inopia, neque etiam quicquam Ecclesiæ veteri præter necessaria ejusque rectori præter congruam sustentationem suppetat, onus assignandi dotē incumbit Abbati, Præposito vel similibus, quibus Parochia subiecta est in temporalibus. Pirh. *h. t. n. 10.* Wiestn. *h. t. n. 13.* juxta *C. extirpanda. Can. fin. §. licet. d. 70.* his etiam deficientibus provideri debere Episcopum de mensæ suæ redditibus, si commode fieri possit, ait Pirh. Wiestn. *LL. cit. citatis C. fin. h. t. C. inter cetera de off. Ordinar. Can. 1. Caus. 16. q. 3.* ac denique deficientibus omnibus, Parochum propriis manibus ex honesto artificio sibi quarere debere victum, astrunt Host. *ad C. ad audientiam. Col. 1. Jo-and. ib. n. 8. & Abb. n. 7.* apud Pirh. *l. c.* & hunc esse casum unicum, in quo parochialis Ecclesiæ constitui possit sine dote sic declarante S. Cong. apud Fagn. *l. c. n. 7. & 37.* teite Pirh. *l. c.*

3. Tertia, ut in Ecclesia nova servetur honor Ecclesiæ matrici debitus *C. ad audientiam. h. t.* qui juxta *Gl. ib. v. honor* & plures alios consistit in pensione seu censu aliquo annuo arbitrio Episcopi moderato eisdem pendendo, non quidem in signum subjectionis, cum hæc subjectio in jure communi fundamentum non habeat, utpote in quo, excepta Cathedrali, nulla Ecclesia super subjectione alterius Ecclesiæ habere fundatam intentionem reperitur; adeoque, si jure speciali sibi eam competere prætendat Ecclesia matrici, id probare debet v. g. quia ea illi consentiente Episcopo reservata. ut Abb. in *cit. C. ad audientiam. n. 8.* Pirh. *h. t. n. 13.* Wiestn. *n. 17.* sed in recognitionem originis ab ea deductæ & jurium in se translatorum, aut quia Parochiani novæ Ecclesiæ tenentur pro Baptismo vel sepultura adire matricem Host. *in C. ad audientiam. n. 3.* Abb. *n. 6.* Jo-and. *n. 10.* Pirh. Wiestn. *LL. cit.*

4. Quarta, ut jus patronatus seu jus præsentandi Rectorem novæ Ecclesiæ, reservetur matrici seu ejus Rectori, non tamen ejus consanguineis, ut notat Lotter *de re benef. l. c.* juxta *C. ad audientiam.* Si tamen ex propriis redditibus contulit in extensionem vel dotationem novæ parochiæ; hanc enim conditionem supponit *cit. C. ad audientiam.* & quidem cumulativè tantum cum eo, qui fundum (quem matrix non præstat eo ipso, quod nova construatur intra limites illius) ad hoc concessit vel partem dotis. ut Abb. *l. c. n. 9.* Jo-and. *n. 3.* Host. *v. fundatoris.* Pirh. *l. c.* fecus, si nihil ad hæc contulit; cum jus Patronatus juxta communem non nisi ex fundatione, constructione vel dotatione congrua competat; sed illud tunc reservatur illis, qui hæc vel unum ex his præstiterunt, ut Abb. *l. c. n. 10.* Pirh. *n. 12.* Fagn. *in cit. C. n. 3.* attestans. sic approbatum à S. Cong. contra Innoc. *in C. 6. de except. Jo-and. in C. 1. de Cap. monach. in 6.*

5. Quinta, ut ante divisionem veteris Ecclesiæ citetur & audiatur illius Rector, ut cum Gl. *in Can. nullus. dist. 99. v. Constitui.* Fagn. *l. c. n. 18.* & apud hunc S. Congreg. juxta dicta supra; cum etsi dividi possit Parochia, etiam invito Rectore antiquo juxta *C. ad audientiam.* & Trid. *l. c.* vocari tamen decet, uti & alii interesse habentes; quia dantur media, per quæ, si volunt impedire possunt extensionem novæ, etiam ex causa; ut dum se offerunt ad constituendum novum Parochum ad nutum amovibilem in Capella apta ad habenda ibi divina, ut ex Lapo Fagn. *n. 30.* Pirh. *h. t. n. 11.* ac denique Parocho novo certus districtus assignandus, de quo alibi. Verùm de hac solennitate vocandi Rectorem prioris Parochialis, dum tractatur de ejus divisione & extensione novæ, vide

me accuratius tractantem in foro benef. p. 1. qn. 157. n. 4.

Quæst. 996. Cujus consensus necessarius ad erectionem novæ Ecclesiæ?

1. Resp. præter enumeratas condiciones necessarius est ad erectionem novæ Ecclesiæ consensus primò Papæ, dum ædificanda est Ecclesia in loco exempto à jurisdictione Ordinarii, ita ut nemo eam ibi extruere possit sine licentia vel privilegio sedis Apostolicæ, c. *authoritate*, §. *prohibemus. de privil. in 6.* Azor. p. 2. L. 9. c. 3. q. 4. In locis verò non exemptis seu jurisdictioni Episcopi subiectis, ut ædificetur Ecclesia, etiam cum dismembratione veteris parochialis requiritur & sufficit consensus Episcopi diocæsani idque, etiam si persona ædificans sit exempta à jurisdictione Episcopi. c. *authoritate*. Barbof. *jur. Ecclesiast. L. 2. n. 15.* Pirh. *h. r. n. 1.* Azor. *l. c. juxta cit. Can. nemo.* & *Novell. 67. c. 1.* In eo verò num sufficiat hunc consensum esse tacitum, in eo consistens, quòd is sciverit, extrui Ecclesiam, & non impediverit aut contradixerit, dum sine incommodo potuisset, an requiratur necessariò expressus, non conveniunt AA. prius ob favorem piæ intentionis tenent Barbof. *jur. Ecclesiast. L. 2. c. 2. n. 17.* Azor. *l. c. q. 6.* Pirh. *h. r. n. 7.* Wiestn. *n. 3.* Engels *h. r. n. 4.* posterius tanquam utriusque juri & rationi conformius docent Reiffenst. *h. r. n. 7.* & alii cum Abbate idem dicentes de ratificatione, idque probant ex eo, quòd, etiam Adversariis fatentibus, de jure requiratur ut Episcopus primùm lapidem ponat & ibi crucem defigat per se vel per alium de ejus consensu, quæ necessariò supponunt consensum expressum & per consensum tacitum aut subsequenter rati habitationem suppleri non possunt, ut patet. Quòd si tamen privatus quis vellet construere Ecclesiam assignata sufficiente dote, & Episcopus sine justa causa consentire nollet, & ea, quæ sui sunt muneris per se vel alium præstare renueret, poterit recurri ad ejus superiorem nempe metropolitanum, ut vel is ipsemet consensum præstet, vel auctoritate sua Episcopum ad consentiendum compellat. Azor. *l. c. q. 9.* Barb. *l. c. n. 2.* Platelius *pr. Episc. p. 1. c. 2. a. 4.* Pirh. *h. r. n. 2.* Wiestn. *n. 3.* Arg. *c. nullus de jurep.* multoque minùs, ut Barb. *l. c.* testans sic à Rota decisum, poterit Episcopus sine rationabili causa se opponere Ecclesiæ jam constructæ & dotatæ dilatationi per adjecta ad illius exornationem nova ædificia; cum id cedat in divini cultus augmentum, cessentque ferè in tali ampliatione rationes, ob quas quandoque ædificatio novæ Ecclesiæ impediri potest.

2. Secundo præter consensum Episcopi requiritur quoque non tantum consilium sed & consensus Capituli Cathedralis ad extruccionem novæ parochialis intra fines antiquæ parochiæ Arg. *c. pastoralis. in fine. de donation.* Host. *ad c. 3. b. i. n. 2.* Fagn. *ibid. n. 10.* Pirh. *h. r. n. 10.* Wiestn. *n. 8.* Reiffenst. *n. 19.* ex ea ratione quòd talis extruccio, utpote continens divisionem seu dismembrationem aliquam antiquæ parochiæ, ejusdem jurium ac reddituum diminutionem, sit species alienationis rerum Ecclesiasticarum, quam facere nequit Episcopus sine consensu Capituli sui juxta *cit. c. pastoralis. c. tua. c. cum nos. de his, quæ sunt à prelat. sine consi.* Verùm hæc se ita habent, dum procedit Episcopus jure suo ordinario, nimirum dum ædificatur nova Ecclesia intra limites veteris non exemptæ, seu non subiectæ regularibus exemptis; non verò si ædificetur intra limites parochiæ exemptæ,

in quo casu necesse habet procedere jure delegato, seu tanquam sedis Apostolicæ delegatus, prout ei conceditur à Concil. Trid. *sess. 21. c. 4.* tunc enim non requiritur dictus consensus, aut etiam concilium; cum ut talis, seu ut taliter procedens non habeat conjunctionem seu communicationem cum Capitulo suo. Fagn. *l. c. n. 53. & 54.* Socin. *in c. 8. de excessib. Præl.* Pirh. *l. c.* Wiestn. *h. r. n. 10.* Arg. *L. 1. §. 1. ff. de eo, cui mandata.*

3. Tertio consensus patroni veteris Ecclesiæ, saltem si nova Ecclesia parochialis dotanda sit de redditibus dotatæ ab eo Ecclesiæ matricis; cum ejus tunc intersit; quia reddituum parte in novam translata, beneficium matrici Ecclesiæ ab ipso factum minùs redditur æstimabile, & minùs grati futuri sint præsentandi illam, quamvis, dum necessitas postulat ædificationem novæ, ad hanc eo invito, & non obstante hoc ejus præjudicio, procedi possit, Arg. *c. ad audientiam.* permittentis tunc ædificationem etiam invito rectori Ecclesiæ matricis, etsi eà illi magis præjudicetur quàm Patrono Ecclesiæ. Ita fere Wiestn. *n. 16.* de cætero consensum patronorum minime requirendum aut curandum absolute pronunciat Lotter. *Loc. mox citand.*

4. Quarto requiri quoque ad constitutionem novæ cum dismembratione antiquæ Parochialis consensum Rectoris ejusdem propter grave præjudicium, quod etiam illi ex eo creatur, docent C. de *Luc. de paroch. d. 35. n. 6.* Lotter. *de reb. benef. L. 1. q. 28. n. 6. & seq.* secus, ac iis requiritur in unione Ecclesiæ. ut Idem *n. 7.* citatis Imol. & Anchar. qui etiam *ibidem* §. *n. 14. & 15.* censet pro validitate dismembrationis sufficere hunc consensum supervenientem, ac sic alienationem ex nunc præstiti consensu. Item etiam si scripto non sit exceptus, secus, ac requiritur in decreto superioris alienationem necessariò præcedente. Item *n. 18. & seq.* tradit, Rectorem, cujus consensus requiritur, non esse Vicarium, cui solum curæ exercitium commissum; sed penes quem residet cura habitualis, & ubi est Capitulum, non sufficere consensum singulorum de Capitulo, sed consensum præbitum capitulariter. Tide me *in for. benef. p. 1. q. 157. n. 4.* reliqua quæ spectant ad Ecclesiarum parochialium constitutionem, dismembrationem & alia vide apud me *in for. benef. p. 1. à n. 144. ad q. 173.*

Quæst. 997. Cujus consensus requiratur ad constructionem novorum monasteriorum, & qualiter, & ex qua causa illa præstandus?

1. Resp. primò: ante omnia requiri consensum Principis territorialis contra Barbofam *jur. Eccles. L. 2. c. 2. n. 2. & 3.* Lezan. *V. monasteria. n. 29.* Donatum & alios probabilius tenet Reiffenst. *h. r. n. 30.* cum Marchant. *in notabil. resol. var. cas.* & aliis ex ea ratione, quòd in erectione novorum monasteriorum semper interveniant quædam temporalia & politica. v. g. de fundo, de mediis, quibus se velint sustentare novi religiosi; an non monasterium novum vergat in gravamen seu præjudicium Principis vel subditorum ejus, adeoque in his judicandi, concedendi aut negandi consensum, potestatem habet Princeps, uti id ipsum confirmatur praxi & consuetudine universali, estque hinc consensus ad vitanda multa inconvenientia priùs obtinendus à Principe & exhibendus Episcopo, antequam is ædificare volentes audiat. Reiffenst. *l. c. n. 49.*

2. Resp.

2. Resp. secundò: tamen jure antiquo communi ante concilium Trid. requirebatur consensus summi Pontificis ad erigenda nova monasteria mendicantium, ut constat ex c. unio. de excess. Pralat. in 6. & c. unio. h. t. in 6. uti & adhuc hodie specialis consensus Pontificis requiritur, ad quæcunque monasteria, etiam non mendicantium, pro Italia & adjacentibus ei insulis juxta novissimam constitutionem Innoc. X. pro hisce locis editam anno 1652. quæ incipit: *Instaurande*. ad erigenda tamen monasteria non mendicantium nullibi etiam in jure antiquo reperitur necessarius consensus Pontificis. Quidquid in contrarium, ut ait Reiffent. h. t. n. 36. dicant Riccius, Zerola, Donatus, &c. quin & hodie ad ædificanda monasteria etiam mendicantium extra dicta loca sufficit & requiritur solus consensus Episcopi. Donatus de adif. novis monast. Tom. 1. tr. 1. q. 13. Farinac. Tom. 2. p. 2. decis. 745. Passerin. in c. unio. de excess. Pralat. in 6. n. 11. Fagn. in c. non amplius de inst. n. 66. Sorb. F. ædificare in annot. & alii, quos citat Reiffent. n. 38. dicens communem contra Barb. de off. & potest. Episc. Alleg. 26. n. 4. hoc nixus fundamento, quòd Concil. Trid. sess. 25. de regular. c. 2. requirendo solum consensum Episcopi ad erigenda monasteria tacite revocet constitutionem c. unio. de excess. Pralat. Vi cujus non nisi de consensu Pontificis poterant ædificari monasteria mendicantium. Confirmat id ipsum variis & inter cætera ex eo, quòd si juxta cit. Bullam Innoc. X. necessarius est ad quævis monasteria ædificanda pro Italia & insulis adjacentibus consensus Pontificis rectè sequatur, eum pro nullo monasterio extra dicta extruendo esse necessarium, pro cujus ulteriore confirmatione citat verbotenus decisionem Rotæ adductam à Farmacio l. c.

3. Resp. tertio: potest verò Episcopus diocesanus (cujus licentia seu consensus ad extruenda monasteria inter suam Diocesim necessarius est, ut habet unanimis, & constat ex Can. quidem monachi & Can. monachis caus. 18. q. 2. uti & ex Trid. sess. 24. c. 3. de regular. & Novella 67. c. sancimus.) hunc suum consensum præstare inconsulto capitulo suo, ut probat Reiffent. n. 40. ex eo, quòd nec Concil. Trid. nec alia decreta, ullà factà mentione capituli requirant hunc consensum, sicque habeat praxis & consuetudo recepta, nō forte capitulum habens interessè. Quia v. g. vi capitulationis cum Episcopo haberet hanc potestatem contradicendi, contradiceret ex rationabili causa. De cætero ut Episcopus licite ac valide præstet suum consensum requiruntur sequentia. primò, ut prius alios religiosos in loco, ubi novum monasterium extruendum intenditur, uti & in vicinia per quatuor millia passuum habitantes aliosque interessè habentes citer per plura specialia decreta vel per unum ad valvas Ecclesiæ loci, ubi ædificandum, eisque intimet intentionem & petitionem ædificare volentium, simulque designando spatium, quo gravamina proponere & probare valeant. Ita Reiffent. h. t. n. 32. sic quoque citandos & audiendos parochos locorum cum Barb. de off. & potest. Episc. alleg. 26. n. 5. Donet. l. c. q. 15. Nav. l. c. Concl. 1. tanquam probabilius & juri conformius contra Passerin. inc. cum ex eo. de excess. Pralat. in 6. tenet Reiffent. n. 33. ex ea ratione, quòd non minus de eorum interessè agatur, dum contingere possit, ut ex novi monasterii ædificatione eorum oblationes aliquæ parochialia ita imminerentur, ut congruam sustentationem amplius non haberent. Quodsi verò

religiosi alii, parochus vel incolæ ædificationi novi monasterii contradicerent sine rationabili causa vel gravamina seu præjudicia gravia & oppositiones quas faciunt probare non possunt (de quo casu intelligendæ sunt Bullæ Clem. VIII. Greg. XV. Urban. VIII. quas recitat Reiff. post n. 29. dum requirunt consensum aliorum religiosorum & interessè habentium: aut ea debite refutantur, valet consensus Episcopi, Donat. l. c. n. 51. Passerin. l. c. q. 27. Nav. in pr. novi jur. Pontif. Concl. 2. Reiffent. n. 41. quin & illum præstare tenetur in hoc casu, ut ex Bulla Pii V. est mendicantium. qua in Bullar. est 41. hujus Pontificis Marchant. Unde etiam in eadem §. 23. mandat Idem Pontifex, ut causa contra erectionem motæ manifestentur ædificare volentibus pro eorum defensione & refutatione. Sed neque requiritur ad concedendam licentiam illam, ut contentur & audiantur regulares aliæ interessè habentes, ubi Episcopo certò constat, nullum per hoc illis creari præjudicium. v. g. dum constat regulares noviter introducendos saltem 12. commode sine aliorum præjudicio sustentari posse, notant Passerin. Nav. LL. cit. & Franchis p. 1. n. 4. 19. apud Reiffent. n. 42. Porro gravamina interessè habentium, ut impedire possint dictum consensum Episcopi, debent esse gravia, quale foret, si ob novi monasterii erectionem præexistentes religiosi in numero duodenario amplius sustentari non possent. Passerin. inc. unio. de excess. Pralat. in 6. n. 56. Reiffent. h. t. n. 43. tale contra ordinariè non esse, asserunt iidem, dum alii religiosi in loco illo aut vicinia existentes ob illam extruentionem non amplius haberent tantum accursum ad suas Ecclesias, aut minores acciperent elemosynas unde cogantur diminuere aliquantum numerum suorum religiosorum, præsertim, si religio de novo inducenda esset ex illis, quæ studiosius prædicationibus, doctrinis, confessionum exceptionibus fideles ad vitiorum fugam inducere laborando salutem animarum impensius zelant & promoven, eò quòd tunc cultus divinus & favor spiritalis populi prævalere debeat uberiori sustentationi, & majori numero ibi præexistentium aliorum Religiosorum, non ita excitatorum in promovendo cultu divino & salute animarum. Quamvis tamen censeretur esse grave præjudicium, ut iidem, si elemosynæ prudenter timerentur ita diminuendæ, ut præexistentes ibi religiosi nequidem duodecim amplius congrue sustentari possent; vel etiam si ideo ibidem ex longa possessione ultra duodecim præexistentium numerus notabiliter etsi non infra numerum duodenarium, diminui deberet, præsertim, si in illis præexistentibus conventibus haberetur novitiatus aut studium; eò quòd tunc æquitas & justitia non admitteret cum tanto detrimento antiquorum, lucrum de novo introducendorum religiosorum. Quæ omnia ab Episcopo priusquam consensum det, diligenter expendenda. Qui etiam, ubi religiosi in loco vel vicinia præexistentes aliique interessè habentes à sententia & consensu illius præstito legitime appellarunt ad sedem Apostolicam, à die appellationis interposita, totum negotium suspensum reliquere debet, usque dum desuper sententia à curia Romana feratur, ita ut etiam interea de novo ædificare volentes abstinere debeant à convehendis materialibus, uti & à capienda possessione loci, in quo ædificare intendunt Reiffent. h. t. n. 35. cum communi, juxta quod constat ex claro textu Bullæ Gregor. XV. quæ incipit: *cum aliis & est in Bullar. 31.* hujus Pontificis.

4. Resp.

4. Resp. denique, causa, citra quam Episcopus novi monasterii ædificandi potestatem facere nequit, debet esse gravis, qualis esse potest moralis necessitas populi, aut magna ejus utilitas ex frequentatione Sacramentorum aliisque mediis spiritualibus ex nova illa religionum inductione certò oritura; si enim tantum intendatur novorum religionum multiplicatio aut major commoditas, populo alii religionis aut sufficientibus pastoribus jam provisio, illico sine ulteriore aliorum citatione, negandus est petentibus dictus consensus seu licentia Reiffenst. n. 50. Quòd si verò citra causam vel etiam non servatis servandis concedatur dicta licentia ædificandi monasteria, domus, residentias aliaque loca religiosa, pœna vel quasi pœna concedentium & ædificantium & recipientium ea est, quòd omnis ædificatio dictorum locorum sit nulla cum omnibus conducentibus ad illam, nullumque jus tribuat recipientibus aut extrucentibus illa ibi habitandi & manendi ob decretum irritans contentum in *cis. Bulla Gregor. XI. & Clem. VIII.* quæ etsi quoad hanc irritationem expresserit sola attentata post appellationem à sententia Episcopi, extenditur tamen quoque dicta attentatio ad facta ante appellationem vel nulla facta appellatione, ut cum Passerin. *l. c. n. 71.* Reiffenst. n. 56. prout patere ait ex cit. Bulla Urbani VIII. absolute & indistincte declarantis irritum & inane quidquid contra formam prædictarum constitutionum quovis prætextu vel causa fieri contigerit. Et quidem contra eas agentes Ordinarios locorum posse eosdem expellere & abigere statuit Urban.

VIII. nisi forte religiosi monasterium locumve alium religiosum à se ædificatum vel receptum tam diu possederint, ut præscriptioni sit locus. Reiffenst. n. 58. ubi etiam testatur à Sixto V. (cujus desuper Bullam per extensum legere licet apud Donatum *Tom. 1. r. 1. g. 12.* concessum Fratribus minoribus regularis observantiæ, ut possint loca quæcunque & qualitercunque recepta & acquisita licite & valide retinere, si illa ultra decem annos possederint; quin &, si infra decem annos (adeoque etiam per unum alterumve annum, ut Reiffenst.) possederint quietè, ut amplius desuper molestari nequeant; modò tamen in hoc posteriore casu illa acquisiverint cum licentia Ordinarii. De cætero Episcopo citra causam vel contra præscriptam formam in dictis constitutionibus præterquam quòd peccet mortaliter, utpote in materia violans constitutiones Pontificias graviter obligantes & nulliter agat, nulla alia pœna jure constituta reperitur.

Quæst. 998. Qualiter præsumantur adhibita solemnitates, causa sufficiens, consensus seu autoritas potentis concedere licentiam ædificandi novas Ecclesias.

R Esp. videri potest *g. 156. p. 1. mei fori benef.* etsi enim ibi agatur in specie de novorum Ecclesiarum ædificatione, in qua contingat dismembratio antiquæ, applicari tamen etiam ædificationi, in qua ea dismembratio non contingit; quin & ædificationi novorum monasteriorum.

CAPUT II.

De reparatione Ecclesiarum, earumque conversione in alias aut etiam in usus profanos.

Quæst. 999. A quibus & quorum sumptibus reparanda Ecclesia?

1. R Esp. primò: in reparatione Ecclesiæ vetustate aliove casu collapsæ, aut aliunde ruinosæ & deformatæ quoad reparationem illius, à quo & cujus sumptibus ea facienda, ante omnia attendenda consuetudo loci, ut cum communi Abb. *in c. 1. h. t. n. 3.* Barb. *in c. 1. § 4. h. t.* Pirh. *h. t. n. 14.* aut etiam statuta aut speciales conventiones, quæ ubi sunt, reparatio faciendi est de ipsis Ecclesiæ redditibus ab eo, qui curam horum habent. Et primò quidem de portione reddituum ad fabricam Ecclesiæ deputata Barb. *de off. § potest. Episc. alleg. 64. n. 1.* Lambertin. *de jurep. L. 3. q. 7. a. 2. n. 2. § 7.* Wiestn. *h. t. n. 42.* juxta *Can. decernimus 10. q. 1. & Can. unic. ibid. q. 3.* Et, si fabrica speciales redditus non habet, de aliis ejus redditibus, etiam qui congruæ rectoris, ubi Ecclesia parochialis est, aliorumve beneficiariorum in aliis Ecclesiis non curatis, sustentationi consuetoque cultui divino in iis peragendo supersunt. Lambert. *l. c. Ricc. in pr. cur. Neapol. p. 14. decis. 293.* Barb. *in c. de his. h. t. n. 3.* Comit. *L. 1. respons. 9. 82. n. 2.* quos citat & sequitur Wiestn. n. 43. item Pirh. *l. c.* juxta quod statuit *c. 1. §*

c. 4. h. t. innovante horum textuum dispositionem Tridentino *sess. 21. c. 7. de reform.* dum monet, Episcopos, ut Ecclesias parochiales collapsas refici & restaurari curent ex fructibus & proventibus quibuscunque ad easdem quomodocunque pertinentibus, quales etiam sunt quos Rector cæterique beneficiati intuitu earum percipiunt; quin etiam teneri Rectorem contribuere ad reparationem Ecclesiæ ex iis bonis & redditibus quæ ad decentem sustentationem status alias requiruntur, eò quòd necessitas Ecclesiæ præferenda sit statui parochi & alterius beneficiati, asserit Pirh. *l. c.* citato Barb. *in cit. c. de his. n. 3.* non tamen coguntur concurrere ad reparationem de patrimonialibus suis, etsi hæc sustentationi suæ sint superflua, ut cum Bellet. *disquisit. clerical. p. 1. de clerico debit. §. 14. n. 11.* Reiffenst. n. 14.

2. Resp. Secundò. quòd si Ecclesia in communi redditus nullos habeat, beneficiati quoque non nisi ad congruam sustentationem sui necessarios, es si quædam superflua habeant, hæc tamen ad reparationem insufficientia sunt, teneri patronos ex fundatione, constructione, donatione tales ad reparationem, saltem concurrentivè; eò quòd non tantum incumbat eis Ecclesiæ à se fundatæ cura exigens ejus conservationem & reparationem: Verum etiam qui percipiunt aliquos illius